



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectae

**Sandini, Antonio**

**Bambergae, 1753**

CCXXXIX. Alexander VII. Anno Christi 1655. Ferdinandi III. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](#)

## ANNOTATIONES.

(1) Constitut. 2. §. 1. tom. 4. Bullari pag. 238.

(2) Constitut. 27. §. 2. tom. 4. Bullari pag. 281.

(3) Constitut. 31. ibid. pag. 287.

CCXXXIX.

## ALEXANDER VII.

ANNO CHRISTI 1655.

FERDINANDI III. 19.

**C**UM aliquamdiu inter Cardinales Pontifici creando congregatos certatum esset sententiis adversis, VII. Idus April. Pontifex renuntiatur *Fabius Ghisius Senensis*, qui *Alexandri VII.* nomen sibi imposuit. Occupatus in Urbe ornanda aedificiis & molibus, incubuit præsertim in curam Christianæ Religionis. *Propositiones* quinque depromptas ex libro Jansenii supra memorato iterum execratus est, & aliorum Auctorum quinque & quadraginta damnatis, sanxit morum disciplinam. (1) Isaacum Peyrerium simul Calvini sectam, simul librum de *Præadamitis*, quem paulo

Paulò antè ediderat, damnantem, & veniam suppliciter deposcentem admisit in communionem Ecclesiæ. (2) Superiorum Pontificum decreta de Conceptione Deiparæ Virginis rata jussit esse, adjectis pœnis in eos, qui contrà facerent. (3) Indulxit, ut Dei Servus Franciscus de Sales olim Episcopus Genevensis in posterum Beati nomine muncuparetur, ejusque corpus & Reliquæ venerationi Fidelium exponerentur. (4) Reginam Suecorum Christianam, florentibus annis abdicato Regno, rejectâque Bruxellis hæresi, venientem Romam, ut in Sede Orthodoxæ Religionis domicilium sibi perpetuum collocaret, lætus exceptit honore generis omnis. Venetam Rempublicam laborantem bello Cretico adjuvit pecuniâ & milite. Præstò fuit Leopoldo Cæsari in Hungaria & Transilvania eorundem Turcarum impetum ægrè sustinenti. Carolo quoque Emanueli Sabaudiæ Duci pugnanti adversis hæreticos accolas vallum Alpinarum, Regique Poloniæ armis Suecorum pâne oppresso tulit auxilium. Abolevit officium Subdiaconorum Apostolico-

Rrr 3 rum

rum ministrantium Pontifici rem di-  
vinam facienti, ad quod utpote ve-  
nale aditus erat etiam minus dignus.  
In eorum locum suffecit Sacrae Ro-  
manæ Rotæ Auditores, concepsi-  
eisdem veste coloris violacei, &  
& sporticulis Palatinis: idemque jus  
esse voluit singulis Canonicis trium  
majorum Basilicarum. Cardinalibus  
vero interdixit usum coloris nigri  
ac lugubris, quo dolorem ex neces-  
sarii alicujus obitu testabantur. Post  
annum ætatis nonum & sexagesimum,  
Pontificatus duodecimum, mensum  
ac diem decimum quintum, XI. Kal.  
Jun. anno 1667. mortem oppedit,  
cujus monumentum, feretrum ipsum  
in eodem, in quo degebat, cubicu-  
lo vivens habere voluit.

#### ANNOTATIONES.

(1) Constitut. 28. §. 1. Constitut. 161. §.  
1. & Constitut. 167. §. 1. tom. I. Bullard.  
pag. 238. 405. & 409.

(2) Peyrerium confutârunt Joan. Cont.  
Dannhavverus in eo libro, cui titulus  
*Præadamita Utis, sive Fabula primo-  
rum hominum ante Adamum conditorum  
explosa, Eusebius Romanus (Philip-  
pus Priorius) in Animadversionibus in  
librum*

librum Præadamitarum, & Natalis Alexander in Hist. Eccl. Veteris Testamenti tom. I. Dissertat. 3. art. I.  
pag. 57.

(3) Constitut. 117. §. 4. *Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & præcipue à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ afferentis, animam B Mariæ Virginis in suâ creatione & in corpus infusione Spiritus Sancti gratiâ donatam, & à peccato Originali præservatam fruiſſe, nec non in favorem Festi & cultûs Conceptioni ejusdem Virginis Deiparæ, secundum piam istam sententiam, ut præfertur, exhibiti innovamus, & sub censuris & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.*

Cardinalis Lambertinus De Serv. De Beatif. & Beat. Canoniz lib. I. cap. 42 num. 14. Ex Constitutionibus Sixti IV. S. Pii V. Pauli V. Gregorii XV. Alexandri VII. & Clementis XI. quæ in unum collectæ legi possunt in Notis ad Gulielmum Estium tom. 2. editionis Neapolitanæ anno 1720. p. 8. clarè desumitur unanimis eorum propensio erga sententiam, quæ Beatam Virginem Mariam à peccato originali servatam in sua Con-

Rrr 4      ceptio-

*ceptione adstruit atque confirmat.* Vida  
annotat. 4. ad Sixtum IV. & 9. ad S. Pium V.  
(4) Constitutione 118. §. 3. tom. 5. Bul-  
lar. pag. 348.

Memoratus Card. Lambertinus lib. 6.  
cap. 24. num. 5. *Prima solemnis Bu-*  
*tificatio, quæ facta fuit in Basílica Vi-*  
*cana, fuit illa Servi Dei, nunc Santi*  
*Francisci Salesii, & expleta fuit die 8.*  
*Januarii 1662.*

## CCXL.

**CLEMENS IX.**

ANNO CHRISTI 1667.

LEOPOLDI I. II.

**J**ulius Rospiliosus Pistoriensis, annos  
natus novem supra sexaginta,  
XII Kal Quintil. deligitur preses  
summus gentium Christianarum,  
appellaturque Clemens IX. Ei stain  
gravis est adversaria parata incredi-  
bilis quedam expectatio, quam non  
solum sustinuit, sed etiam vicit.  
Nam pietate fuit singulari, omnes  
facile admisit, in Vaticana Æde Sa-  
cramentum Pœnitentiæ administra-  
vit, totus causarum, non hominum,  
justitiam lenitate temperatam serva-  
vit.